



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Statv Religionis Christianae, Per Evropam, Asiam,
Africam, Et Orbem Nouum, Libri IV.**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1619

Cap. II. Africaa status, quà Italiam respicit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11108

186 DE STATV RELIG. CHRIST.
Regis Catholici detentis, de quibus infra
dicemus.

CAPVT II.

AFRICAE STATVS, QVA
Italiam respicit.

Africae eam fermè solùm portionem,
quæ citra lineam æquinoctialem ad
nos pertinet, Ptolomæus & alij olim
Geographi notam habuerunt: vltiorem
Lusitanorum nauigationibus debemus.

Citerior, vt sic appellem, Romanis
quondam paruit: declinante postea Imperio,
& Alanis ac Vandalis sese in Galliam atque
Hispaniam effundentibus, ab illis postre-
mò infessa est: donec ab Arabibus, Mahu-
metanæ sectæ sequacibus, Vandali expul-
si, totaque Africa exterminati sunt, nomine
Christiano cum ijs prorsus istis in terris ab-
olito.

Constat olim ducentos ampliùs Episco-
pos Concilio Carthaginensi interfuisse: vt
nos in Notitia Episcopatum vniuersi orbis
docuimus. Hodie in Africa, quæ Italiae op-
ponitur, duæ supersunt diœceses, *Septensis*
& *Tingitana*, quibus vnus idemque Epi-
scopus præest. Habet & regnum *Congi*, in
yrbe *S. Saluatoris*, & *Insula S. Thomæ* cum
Guinea,

Guinea, suos Episcopos: de quibus infrà dicturi sumus.

Ceterùm ad mare Mediterraneum obtinet hodiè Rex Catholicus in Africa *Oranū*, *Mazalquium*, *Melillam*, *Vellezum*, *Tingim* & *Septam*; & ad mare Atlanticum, tenet *Mezaganium*, *Laracham*, & *Mamoram*, præter arces in Aethiopia, Congo, Angola, Cefala, Mozambico, vicinisque locis fitas.

CAPVT III.

AFRICAE LITTORA EXTIMA,
ad Oceanum sita.

ET si apud Herodotum libr. i. Plinium lib. 2. cap. 67. Solinum cap. ultimo, & Melam lib. 3. cap. 10. vestigia sint, Africam olim circumnavigatam fuisse: ipsæ tamen regiones ac gentes à Zona torrida (quæ falsò veteres exustam penitus & inhabitabilem crediderunt) ad Bonæ Spei promontorium omninò incognitæ fuerunt. Quas quidem magna suæ gentis gloria, & Christianæ fidei amplificacione Lusitani aperuerunt.

Auctor tanti operis ac nauigationis fuit *Henricus*, ordinis Equitum Christi Magister, Ioannis I. Lusitanæ Regis (qui *Septam Mauris* eripuit) filius, diuino, ut scri-